



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Disputatio XLIII. De neceßitate Incarnationis ad satisfaciendum ex Iustita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**

# DISPUTATIO QUADRAGESIMA TERTIA.

## De necessitate Incarnationis ad satisfac- ciendum ex Iustitia.

**C**HRISTVM propter nos, & nostram salutem de caelo descen-  
disse, humanamque assumpsisse naturam, Fide certum est, ut  
nimirum nos à peccato liberaret, caelique portam per primi parentis  
delictum nobis clausam aperiret, quod quamvis aliis modis, ut  
Disputatione precedente vidimus, prestare potuisset, quò tamen incre-  
dibilem illam suam in nos benignitatem testaretur, hanc praeter ceteris id  
faciendi viam elegit, ut scilicet pro tam graui culpa reatu satisfaceret,  
plenumque redemptionis pretium persolveret, quod quo pacto prae-  
sterit, ex sequentibus constabit. Prius verò quam de satisfactione  
decernamus, videndum de culpa.

### SECTIO PRIMA.

#### An per peccatum contrahatur debitum iustitiae ad satisfaciendum Deo?

I.  
Iustitia variè ab aucto-  
ribus sumi-  
tur.



**I**USTITIA variè ab auctoribus sumi-  
tur: primò latè pro collectione  
omnium virtutum, quo sensu  
Sancti dicuntur iusti. Secundò  
quolibet virtus vocatur iustitia,  
quòd virtus æqualitatem quandam & debitum  
rationis seruet. Tertio strictius, licet non ita  
proprie pro quavis virtute ad alterum, ut pro re-  
ligione quæ Deo, gratitudine quæ bene meri-  
tis, pietate quæ parentibus debita præstant obse-  
quia. Iustitia verò proprie dicta est virtus qua  
habitualmente inclinatur voluntas ad seruandum  
illæsum jus strictum alterius, ortum ex dominio  
proprietas, quæ proinde definiri ex Ulpiano  
solet, *Iustitia est constans & perpetua voluntas jus  
suum cuique tribuendi.* Videatur Molina de Ju-  
stitia & Jure, & Lessius ibidem libri 2. cap. 1.  
num. secundo.

Quanam sit  
propriissima  
iustitia ac-  
ceptio.

II.  
Iustitiam  
inter homi-  
nes reperiri  
posse certum  
est.

Hanc virtutem inter homines erga se invicem  
reperiri certum est, cum unus alteri vim & in-  
juriam inferre, & illius jus in famam ac bonis vio-  
lare possit, ut in dies constat. Ad Angelos etiam  
in purâ naturâ consideratos spectat hæc virtus,  
nec enim liberum est ipsis se invicem infamare,  
sed si qua sint bona spiritualia, quorum sunt do-  
mini, ut honor, libertas à coactione, & vio-  
lentia, &c. tenentur non se invicem in his læ-  
dere, & idem est si ratione officii, vel dignitatis

sibi invicem debeant. Angelis etiam respectu  
hominum, & è contra competit iustitia, licet  
quoad secundam partem Suarez neget, quia, in-  
quit, nihil nocenti potest Angelis ab homi-  
nibus inferri; at licet homines ipsos decipere,  
aut vim iis inferre non possint, quidni tamen in-  
famare eos poterunt. Angeli verò cum homi-  
nes variis modis in bonis tum corporis, tum ani-  
mi lædere possint, tenentur ex iustitiâ nobis in  
istis non nocere.

Quæstio ergo in præsentî est, utrum homo  
peccando lædat jus Dei, injuriamque ei inferat,  
& iniustitiam proprie dictam committat, sicque  
Deo ex iustitiâ teneatur satisfacere, ac proinde  
utrum Christi satisfactio, qui fidejussoris munus  
pro hominibus in se suscepit, fuerit hoc sensu  
actus iustitiæ proprie dictæ, seu tendens ad re-  
faciendam injuriam strictam, quam homines  
in Deum peccando incurrerant.

Prima sententia negat peccatum esse injuriam  
proprie dictam, sicque asserit homines peccan-  
do non committere injuriam contra Deum, &  
consequenter actum satisfaciendi non esse actum  
iustitiæ, sed solum Charitatis, aut alterius vir-  
tutis. Ita Vasquez hic, Disp. 7. & primâ parte,  
Disp. 85. cap. 4. num. 24. qui alios citat, & hanc  
opinionem multi sequuntur ex recentioribus, li-  
cet non omnes eodem illam modo defendant.

Vasquez hac incedit viâ, tunc enim, inquit,  
committitur iniustitia, quando læditur aliquis  
in bonis, & damnum ei aliquod infertur, Deo  
autem inferri damnum non potest, utpote cui  
commodum nihil est, aut incommodum, & si  
cui utilitatem nullam ex rebus creatis percipit,  
ita

III.  
Quæritur  
num peccatum sit  
iniustitia  
stricta contra  
Deum.

IV.  
Prima sen-  
tentia negat  
per peccatum  
committi  
injuriam  
strictam con-  
tra Deum.

V.  
Nolunt ali-  
qui peccatum  
esse iniusti-  
tiam stri-  
ctam con-  
tra Deum,  
ita

quia ipsi ex ita nec nocumentum, unde Job 35. dicitur: nostris peccatis nullum damnum inferatur.

Si peccaveris quid ei nocebis, porro si juste egeris quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet: & cap. 22. Quid prodest Deo si juste feceris, aut quid ei confersis si immaculata fuerit vita tua. Deinde peccata, inquit, blasphemiarum, sacrilegii, & odii; quae sunt directè contra Deum, opponuntur aliis virtutibus, blasphemia Fidei, sacrilegium religioni, odium Charitati, hæ autem virtutes diversissimæ sunt à justitiâ.

VI.

Qua ratione Aristoteles materiam justitiæ assignat res utiles.

At licet Aristoteles quinto Ethicorum cap. 4. & 9. materiam justitiæ assignet res utiles, seu in quibus damni aliquid reperitur aut lucri, non tamen illam assignavit ut materiam adæquatam, sic enim quarto Ethicorum cap. 1. ait idem Aristoteles, Liberalitatem versari circa pecuniæ largitionem, & tamen in Deo est liberalitas respectu donorum spiritualium & supernaturalium. In his ergo libris, cum eos scripserit in ordine ad vitam humanam rectè instituendam, de illâ solum justitiâ tractat, quæ in contractibus humanis ut plurimum reperitur.

VII.

Non in diminutione boni propriè utilis, sed in læsione boni alicujus, æstimatione digni, cujus habet quis verum dominium, seu ad quod habet jus, hoc enim fit Domino rationabiliter invito, cum uniusquisque rationabiliter sit invitatus ut alius quinulum jus habet, ipsam re suâ privet, cujus est dominus, sive ex eâ utilitatem capiat, sive voluptatem, sive honorem tantum extrinsecum, ut rectè Saarez loco supra citato.

Non ergo consistit adæquatè injuria in diminutione boni propriè utilis, sed in læsione boni alicujus, æstimatione digni, cujus habet quis verum dominium, seu ad quod habet jus, hoc enim fit Domino rationabiliter invito, cum uniusquisque rationabiliter sit invitatus ut alius quinulum jus habet, ipsam re suâ privet, cujus est dominus, sive ex eâ utilitatem capiat, sive voluptatem, sive honorem tantum extrinsecum, ut rectè Saarez loco supra citato.

VIII.

Idem numero actus opponi potest diversis virtutibus.

Quod verò addit Vasquez, propterea blasphemiam non esse peccatum contra justitiâ, quia est opposita Fidei, quid vetat eundem actum diverso respectu opponi diversis virtutibus, ut sacrilegium justitiæ & religioni, si sit rei Deo sacratæ, adulterium temperantiæ & justitiæ, &c.

IX.

Alii dicunt peccatum non esse iniustitiâ contra Deum, quia homo non potest ad æqualitatem pro eo satisfacere.

Secundò itaque, propterea dicunt aliqui peccatum non esse injuriam strictam contra Deum, nec teneri offendentem satisfacere Deo ex justitiâ pro peccato, quia justitiâ est virtus ex naturâ suâ ordinata ad servandam æqualitatem, sed homo non potest Deo reddere æquale pro peccato, ergo nec tenetur ex justitiâ pro eo satisfacere. Et si dicas in creatis eum, qui injustè abstulit magnam vim pecuniæ, & jam restituere totum nequit, saltem teneri ad restituendum quantum potest. Respondent, aliam esse rationem respectu Dei, in creatis enim per accidens est, quod non possit quis restituere, & sic tenetur, hic autem per se & essentialiter est impar satisfactioni, sicque liber est ab obligatione hujus virtutis, utpote ejus ratio formalis in eo deficit.

X.

Contra, in aliquibus servari potest æqualitas inter Deum & hominem.

Sed contra primò, nam in aliquibus servari potest æqualitas inter Deum & hominem, ut si Deus ut Dominus proprietatis alicui præcipiat ut hoc vel illud faciat in ejus obsequium, quod facere potest, tenetur illud facere ex justitiâ, & idem est si aliquid simili modo prohibeat, particulari enim juri Dei hic & nunc satisfacere possumus ad æqualitatem, licet ei in totâ latitudine fortè non possimus, tot namque titulis Deo obstringimur, ut satisfacere omnibus nequeamus.

XI.

Satisfacere ad æqualitatem non est de conceptu essentiali justitiæ.

Contra secundò, ratio enim formalis justitiæ non est ut absolutè satisfaciatur quis quoad æqualitatem, sed solum quantum potest, quæ conditio tacitè in hac justitiæ descriptione intelligitur, alicui pauper, qui non est solvendo, partem tamen ablatis restituit, non id faceret ex affectu hujus virtutis, nec actus ille esset actus justitiæ.

P. R. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.

justitiæ, quod nullus concedet; sequela probatur, non enim dicit volo satisfacere ad æqualitatem, cui moraliter videat id sibi esse impossibile, sed solum quantum possum. Nec refert hoc fieri per accidens, si enim desit conceptus formalis virtutis, sive per accidens desit, sive per se, non est actus illius virtutis, sicut in quo non est albedo, sive per accidens absit, sive per se, verè illud non est album, unde tam non est alba nix, vel lac, quod casu colorem amitteret, quam corvus, & tam non videt Petrus cæcus, quam talpa.

Si ratio formalis justitiæ absit, etiam per accidens, non est in illo actu iniustitiæ.

SECTIO SECUNDA.

Alia via quibus contendunt nonnulli excludere peccatum à ratione injuriæ strictè sumptæ?

TERTIUS dicendi modus aliorum est, propterea non teneri peccatorem ad satisfaciendum ex justitiâ, quia tenetur reddere idem in individuo, cum tamen non possit, nec æquivalens, tunc enim solum debitor tenetur reddere æquivalens, quando creditor per injustam actionem habet minus in bonis, Deus autem per peccatum, omissionem videlicet actus alicujus præcepti, non habet moraliter minus in bonis suis extrinsecis, potest namque pro libito gloriam illam recuperare; cum enim habeat in potestate suâ Deus voluntatem hominis meliùs, quam ipse homo, potest eam ubi placuerit ad actus quoque excellentissimos movere per cogitationes congruas, quibus honor amissus abundè compensetur.

I. Volunt alii peccatorem non posse satisfacere ex justitiâ, quia tenetur idem numero reddere.

Sed contra primò, nam tunc nec ex Charitate penitere tenetur, & se Deo iterum conjugere, cum Deus pro libito efficere possit ut se convertat.

II. Refellitur dicta sententia.

Contra secundò; Cum enim quis hominem quempiam in famâ læsit, esto possit læsus facillè famam suam recuperare, sicque moraliter hoc fit in ejus potestate, non tamen propterea liberatur offendens ab obligatione famam illi restituendi, nec tenetur læsus ipsum orare vel invitare, aut dare concilium ut famam restituat: sic licet Deus auxilio congruo possit honorem recuperare, peccator tamen non liberatur ab obligatione eum restituendi.

III. Quid læsus possit facillè honorem recuperare, non liberatur ab obligatione eum restituendi.

Contra tertio: Ponamus aliquos secretò furem spectare rem, quæ ad ipsos pertinet auferentem, res hæc est moraliter adhuc in bonis ipsorum, quia possunt impedire ipsum si velint, vel etiam ab eo facillè illam auferre, & tamen peccat fur peccato iniustitiæ auferendo rem alienam, & eam retinendo: unde lege, si quis ff. de furtis dicitur potentem prohibere furem, & non prohibentem, adhuc agere contra furem posse actione furti.

IV. Peccat fur contra iniustitiâ auferendo rem alienam, quamvis domino inspectante ad præteritum.

Contra quartò: Satisfactio enim, quam Deus requirit pro injuriâ illatâ non est ut ob actum omissum restituamus alium similem, ut si quis actum humilitatis vel obedientiæ pro tali instanti præceptum omitteret, postea alium actum humilitatis & obedientiæ intuitu illius omissionis eliciat, ut ex communi praxi constat, sed solum postulat, ut ipsi per penitentiam satisfaciatur, dolo scilicet de peccato, & emendationem in futurum promittendo, hanc enim satisfactionem significavit Deus se requirere, non aliam.

V. Deus ab homine pro satisfactione actus omissi non requirit ut actum similem eliciat.

FOM. II.

VI. Ideo dicunt quidam Peccatum non esse iniustitiam strictam contra Deum, quia Deus non potest cedere jure suo, ut ab hominibus non offendatur.

Dicunt hi Auctores jus esse potestatem moralem, seu liberam, & Justitiam non necessariam.

VII.

Quod Deus hoc in parte cedere nequeat jure suo, arguit peccati gravitatem esse majorem.

VIII.

Quisquis hominem naturam suam loci alicujus regem regno illo privaret, gravi eum afficeret injuria.

IX.

Martyres à tyrannis gravissimam patiuntur injuriam dum mutilantur & occiduntur, quamvis in vita & membris cedere jure suo non possint.

X.

In actu peccaminoso contra Deum, unusquisque est.

Quartò itaque dicunt alii: Quamvis non repugnet, ut in quibusdam intercedat stricta obligatio hominis ad Deum, peccatum tamen non esse injuriam propriè dictam, & consequenter satisfactionem, seu poenitentiam de peccato non esse actum justitiæ, quia, inquit, jus Dei ut non offendatur peccatis hominum est ejusmodi, ut non possit cedere jure, & consequenter non est liberum Deo exigere, vel non exigere ab hominibus, ut ipsum per peccata non offendant, nec obligatur ex liberâ Dei voluntate, sed naturali quadam necessitate ex parte Dei, qui nimirum ita habet jus ut homines in ipsum non peccent, ut non possit hoc non velle. Ita videntur sentire ii, qui asserunt jus proprietatis esse potestatem moralem obligantem ex voluntate liberâ Domini, cujus opinionis videtur esse Rebellius parte primâ, lib. 1. quæst. 4. num. 14. & alii nonnulli, citatur etiam Lessius lib. 2. de Jure & Justitiâ, cap. 2. num. 2. qui tamen eam non vocat potestatem moralem, sed legitimam, seu à lege aliquâ collatam, unde manifestè loquitur solùm de jure contracto ad creatum, non de divino, quod nullâ lege confertur, sed oritur essentialiter ex ipsâ naturâ Dei.

Sed contra primò: Nam quisquis peccat, id præstat Deo invito, eumque ut Dominum proprietatis offendit, ut infra videbimus, ergo irrogat ei injuriam, quod enim sit essentialiter invitatus non minuit, sed auget potiùs offensæ gravitatem, imò si posset Deus hac in parte cedere jure suo, non videtur injuria futura tanta. Confirmatur: Dominium proprietatis quod habet Deus in homines, & eorum operationes, ac res omnes creatas, est perfectissimum, ergo & jus, quod habet ne violetur hoc dominium est perfectissimum, sed violatio juris & domini etiam in creatis est injuria strictè sumpta, ergo & violatio juris & domini divini, quod est perfectissimum, erit stricta injuria. Summum enim jus, summa injuria.

Contra secundò: Si homo aliquis esset ex naturâ suâ Rex alicujus loci, ita ut non posset cedere jure suo, nec dominium illud abdicare, aut velle ut alter hoc eum privaret, si quis illi regnum illud eriperet, censeretur ab omnibus injusta actio illa, & teneretur ex justitiâ ad restitutionem, cum verè teneret rem alienam invito domino, & puniri posset juxta leges contra injustè accipientes rem alienam statutas, ergo.

Contra tertio: Non potest homo, secundùm probabilem sententiam cedere jure suo in vitâ, ac membris, ut occidatur, mutiletur, &c. permittente enim se occidi, ut fecerunt Martyres, non est cedere jure suo, sicut nec cedit jure suo Deus, quod habet ne homines ipsum offendant, permittendo peccata, & tamen peccaret contra justitiam quisquis hominem ipso invito mutilaret. Idem est in adulterio, quod est peccatum contra justitiam, licet conjux cui fit injuria cedere jure suo hac in parte non possit.

Contra quartò: In actu peccaminoso contra Deum varii sunt respectus; ut Deus est persona veneratione digna, peccatum est irreverentia, ut est dignus cultu, peccatum est contra religionem, sed ulterius Deus etiam est Dominus proprietatis, ergo est alius adhuc peculiaris respectus in peccato, sed hic non est nisi iniustitiæ, secundùm omnes namquo tunc est injuria propriè dicta, quando est contra jus strictum alterius, quod habet, ut Dominus est proprietatis, ergo, &c.

## SECTIO TERTIA.

Rationes quedam cur peccatum juxta nonnullos non sit stricta injuria, quod scilicet Deus sit essentialiter invitatus ne offendatur.

DICES primò: Secundùm Aristotelem nemopatiatur injuriam nisi nolens, & invitatus. Esto, hoc tamen facit potiùs contra hos auctores, nam Deus hic ita essentialiter est nolens, & invitatus, ut non possit non esse invitatus, nec interpretativè solùm, seu præsumptivè, sed apertè, quod testantur tot prohibitiones, & præcepta, quibus suam hac in parte voluntatem indicat. Et sicut in hoc constituunt Theologi perfectissimum dominium Dei, quod non possit illud à se abdicare, sed sit necessariò & essentialiter dominus, ita perfectissimè nolens & invitatus est is, qui non potest non esse nolens & invitatus.

Dices secundò: Jus proprietatis vocari ab auctoribus, potestatem moralem, ergo est potestatis obligans ex liberâ voluntate domini; jus autem, quod Deus habet ut non offendatur per peccata, non obligat ex liberâ voluntate Dei, cum, ut diximus, non possit in hoc cedere jure suo. Contra, hoc enim argumentum probaret Dei jus non esse propriè jus, quod tamen est falsum, habet enim Deus jus strictissimum ne homines ipsum offendant, & utantur rebus ipsius ipso invito, quod tamen faciunt per peccatum. Contra secundò: Nam eodem modo loquuntur auctores de dominio proprietatis, quod definiunt per jus, & tamen certum est Deum habere dominium perfectissimum, ut dictum est, licet non possit illud abdicare.

Respondeo ergo jus proprietatis vocari potestatem moralem, prout morale distinguitur contra physicum, nam licet physicè res ab aliquo auferatur, & consequenter is non habeat potestatem physicam illâ utendi, retinet tamen adhuc potestatem moralem, & potest secundùm leges sibi rem illam vindicare tanquam suam. Secundò dicitur potestas moralis, id est fundata in naturâ rationali, seu quæ possit sentire & cognoscere hanc injuriam, unde brutis non competit jus hoc nec dominium, utpote quæ ex naturâ suâ non possunt illius cognitionem ullam habere, nec eo ad rem ullam uti. Tertio dicitur potestas moralis tanquam spectans ad mores. Tandem quia licet non sit formaliter libera in Deo, est tamen radicaliter, seu radix diversarum operationum liberarum. Deinde quamvis Deus non possit cedere jure suo, & velle ut homines ipsum per peccata offendant, potest tamen id permittente.

Dices tertio: Ergo confundimus peccata. Nego consequentiam, sed in eodem actu distinguimus varios respectus, ut Deus est Dominus jurisdictionis, actus ille est inobedientia, ut est bene de nobis meritis ingratitude, ut dominus proprietatis iniustitia.

Dices quartò: Est specialis quædam difficultas, & honestas operari intuitu voluntatis alterius te compellentes ex vi potestatis moralis, diversa ab eâ, quæ obligat ex merâ honestate naturali, ergo constituenda erit diversa virtus ad hanc difficultatem superandam. Respondeo potestatem moralem, ut jam explicata est, non pugnare

I. Si nullus patiatur injuriam nisi nolens, Deus per peccata hominum gravissimam patitur, utpote qui est essentialiter nolens.

II. Obis. Int Dei vocatur potestas moralis, ergo est quid liberum.

III. Quibus de casu sui proprietatis in Deo, etiam si non sit liberum, vocetur potestas moralis.

IV. Varia sunt peccata juxta varios respectus.

V. Obicitur: Peccatis in eo relucet honestas ut quis operetur ex vi potestatis libera alterius.

Resp. Ob honestatem peccati non libera variis exerceri posse virtutes, & inter alias justitiam.

pugnare cum naturali honestate, unde ob naturalem honestatem requiri possunt variae virtutes, intra quas una est justitia, quae obligat ad servandum illatum jus alterius, sive ex naturâ, & necessariò jus illud ei competat, sive non; unde si violetur invito Domino erit injustitia, sive Dominus ita sit invitus ut possit non esse, sed cedere jure suo, sive non, hoc enim merè materiale est in ratione justitiæ, sicut enim non efficit quò minus verè sit Dominus, ita nec quo minus verè committatur contra eum injustitia.

VI. Ex actu obedientia nullum deducitur argumentum ad actum justitiæ respectu Dei.

VI. Dices quintò: Obedientia erga Deum respicit voluntatem liberam illius, ergo & justitiæ. Omisso antecedente negatur consequentia, disparitas est, quia obedientiæ objectum juxta Sanctum Thomam 2. 2. quæst. 104. art. 2. est præceptum superioris, seu voluntas ejus intimata, cui refragari esset inobedientia, præceptum autem liberè intimatur, objectum verò justitiæ, est jus, quod si violetur invito Domino fit ei injuria. Sed quicquid sit de hoc

VII. Deus non minus essentialiter est dominus jurisdictionis, quam proprietatis.

VII. Respondetur secundò, eandem videri rationem de justitiâ, ac de obedientiâ; sicut enim Deus non potest cedere jure suo ut dominus proprietatis, seu ne homines ipsum offendant, ita nec cedere potest jure suo, ut dominus jurisdictionis, ne homines ipsi sint inobedientes, æquè enim essentialiter ipsi competit jus unum atque alterum. Unde sicut negatio libertatis in Deo quoad hoc secundum non obstat peccato inobedientiæ strictæ, ita, &c. Imò si Deus homini, vel Angelo conferret jurisdictionem in alios, & superiorem ita constitueret, ut non relinqueret ei potestatem cedendi jure suo, certè non videretur minus propriè actum, quo quis contemneret ipsius mandatum futurum inobedientiam, quam modò.

VIII. Præceptum superioris, etiam si esset necessarium, obligaret.

VIII. Declaratur hoc idem ex Sancto Thoma articulo illo secundo, in corpore, & ad secundum, ubi ait objectum obedientiæ esse præceptum superioris, vel expressum, vel tacitum, ergo potest esse inobedientia etiam in iis, quæ sunt intrinsecè mala, licet nullum sit de iis expressum mandatum, sed Deus non minus potest cedere jure jurisdictionis in his, seu ut non offendant ipsum homines ut supremum legislatorem, quam cedere jure suo proprietatis, & ut non ipsum offendant ut Dominum proprietatis, ergo: si quis verò aliquid præstet non reflectens ad præceptum, excusabitur ab inobedientiâ formali, sicut etiam à formali injustitiâ.

IX. Dices: Exemplari conceptus juris non potest, nisi in ordine ad voluntatem liberam.

IX. Dices sextò stare non posse hanc doctrinam cum conceptu essentiali juris, utpote quod nisi in ordine ad hujusmodi voluntatem liberam definitur nequit: definire enim justitiam cum Molina, tomo 1. de Justitiâ & Jure tract. 2. dub. 1. quod sit facultas aliquid faciendi, obtinendi, &c. cui si contraveniatur sine legitimâ causâ fit injuria, quam etiam definitionem amplectitur Lessius ibidem lib. 2. Disp. 1. num. 2. & alii plurimi, est committere circulum. Postea enim interroganti quid sit injuria, hanc explicant per ordinem ad jus, nempe ut sit id, quo violatur hoc jus, sicque jus per injuriam, & injuriam per jus declarant.

X. Cum natura faciat circulum in essendo, quidni Philosophus eos faciat in definiendo.

X. Respondetur primò cum Suarez Disput. 43. Metaph. Sectione ultimâ, & Hurtado 15. Metaph. Sect. 7. §. 64. in simili, non omnem circulum esse vitiosum, præsertim in correlativis, cum enim res à parte rei mutuo se respiciant, & efficiant quasi circulum in essendo, ut materia ref-

picit formam, & hæc vicissim materiam, potentia actum, actus potentiam, &c. quidni per hunc ad se respectum definiti & explicari poterunt. Sic Aristoteles materiam definit per formam, & formam per materiam, Porphyrius genus per speciem, & hanc per genus. Sicut etiam in moralibus creditor explicatur per debitorem, & è contra. Hujusmodi ergo circuli non semper improbantur, sed ii solum, qui planè idem dicunt per idem, ut videri potest quod est visibile, visibile est quod potest videri, quod solum videtur ludere in verbis.

Ne tamen nos huic modo respondendi atringamus, dico injuriam propriè dictam esse eam, quæ inferitur Domino proprietatis ut Dominus proprietatis est, utendo scilicet, vel aliquo modo disponendo de re ipsius, illo invito; proprietatis autem est, qua res dicitur nostra, nostra verò dicuntur illa omnia, quæ physicè nobis aut moraliter uniuntur, aut à nobis aliquo modo causantur. Jus tandem proprietatis dici potest facultas moralis, qua licet mihi pro libito uti re aliquâ tanquam meâ. Adde adversarios non effugere hoc inconveniens dicendo jus esse potestatem moralem fundatam in liberâ voluntate alterius, non enim in quavis voluntate liberâ illam possunt constituere, sed in voluntate habentis dominium proprietatis, non jurisdictionis formaliter. Dominium verò proprietatis explicant per injuriam, qua violatur; si autem ulterius quæras quid sit injuria, recurrunt ad dominium proprietatis, & concluduntur in circulo.

XI. Quid sit injuria stricta dicta.

Adversariè in sua explanatione juris & injuria non effugiunt circulum.

SECTIO QUARTA.

Peccatum est injuria stricta contra Deum.

ITA Suarez opusculo de Justitiâ Dei, Sect. 2. num. 9. & hic Disp. 4. Sect. 5. & Tomo 4. Disp. 2. de Pœnitentiâ, Sect. 3. Tannerus de Pœnitentiâ: quæst. 2. dub. 2. & alii recentiores, videturque mens Sancti Thomæ, tum alibi, tum tertiâ parte, quæst. 85. art. 3. ubi Pœnitentiam ait esse speciem justitiæ.

I. Peccatum est injuria stricta contra Deum.

Ratio conclusionis à priori est, quia Deus titulo creationis & conservationis habet in creaturas rationales in ordine ad officia ab eis debita præstanda jus quoddam proprietatis excellentissimum, multòque strictius, quam Dominus quivis creatus ad servum, ut exigat ab eo obsequia, vel herus in mercenarium, sed hi tenentur ex justitiâ imperata sibi ab hero & domino peragere, ergo à fortiori homo tenebitur ex justitiâ ad ea præstanda, quæ Deus ab eo ut Dominus proprietatis exigat, ergo è contra si ea non præstet peccabit peccato injustitiæ, utitur namque re alienâ invito Domino, vel saltem id, ad quod ex justitiâ tenetur, omittit. Confirmatur: Homo verè & propriè est servus Dei, ergo obligatur ei ex justitiâ.

II. Ratio est, quia Deus in creaturas rationales habet jus proprietatis perfectissimum.

Secundò probatur: Peccata in Scripturis passim vocantur injustitiæ, iniquitates, offensæ, &c. aliis hujusmodi nominibus, quæ veram injuriam contra Deum in iis repertam sonant: Dixi conturbabor adversum me injustitiam meam Domino. Psalmo 31. ubi peculiariter notandum, cum voce injustitiâ conjungi dominium, ut insinuet se servum, Deum tanquam Dominum offensissio:

III. Peccata in Scripturis passim appellantur injustitia.

TOM. II.

& Psalmo 50. dicit Deo Propheta, *tibi soli peccavi*, ut significet, licet duobus peccatis gravissimis iniustitiae, adulterio scilicet, & homicidio homines offendisset, tanta tamen erat injuria in his contra Deum, ut *soli Deo* injuriam intulisse videretur, ut ex Theodoro notat Suarez lib. 7. de Gratiâ, cap. 14. num. 50. Imo toties peccatum in Scripturâ vocatur injuria, iniquitas, & offensâ Dei, ut nonnulli apud Suarium putent esse de Fide peccatum esse injuriam propriam contra Deum, nec posse ullo sensu metaphorico loca illa Scripturæ explicari, licet ipse pro suâ modestiâ id affirmare nolit. Ita tamen ratio injuriæ & offensæ in Deum apparet in peccato, ut Halensis quartâ parte, quæst. 54. in 2. art. 2. §. 6. dicat ipsam rationem informatam legibus æternis dictare penitentem debere punire in se offensam, sive injuriam Dei.

Non pauci existimant suâ certâ esse in peccato contineri rationem injuriæ strictæ contra Deum.

IV.

Deus in sacris Literis frequenter appellatur Dominus.

Tertiò: Nihil frequentius in Scripturâ, quam Deum vocari Dominum, homines servos, Isaïæ 45. *Ego Dominus, & non est alius, Ego Dominus, & non est alter, ego Dominus faciens omnia hæc.* & Apocalyp. 19. dicitur: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* unde fit, ut homo teneatur Deo tanquam Domino parere, utpote cujus actiones omnes sub vero illius dominio existant. Quod ut clarè significaret Deus, cum jam esset laturus legem, non solum sæpè priùs repetit verba illa: *Ego Dominus Deus tuus*, sed post singula ferè præcepta repetit: *Ego Dominus*, ut constat ex Levitici 18. & ut omittam infinita alia, dicit Christus Lucæ 17. *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Quare putant aliqui Deum semper præcipere ut dominum proprietatis, quia quandocumque aliquid præcipit, id facit ad gloriam suam, quam exigit ab hominibus, ergo præcipit ut dominum proprietatis, qui obsequia debita à servis suis exigit. Ignorantia verò potest excusare à formali iniustitiâ, sicut à quavis aliâ ratione malitiæ in actu repertâ.

Dum legem ferret Deus, per singula ferè præcepta se vocavit Dominum.

V.

Quadam peccata sunt directè contra Deum, & consequenter singula vitia injuria.

Quartò: Clariùs hoc constat in peccatis iis, quæ sunt directè contra honorem Dei, Deus enim non minus est Dominus honoris sui, & famæ, quam homo, si ergo homini infertur injuria stricta, dum quis ipsum infamat, aut contumeliâ afficit, quidni erit etiam injuria, si quis idem præstet Deo, ut si quis detrahat bonitati, aut alteri ejus attributo, dicendo Deum esse crudelem, injustum, mendacem, non habere providentiâ & curam Universi. Item per idololatriam, quæ proinde est respectu Dei, ac si quis in creatis vellet honorem regium alteri conferre, quod sicut hic esset injuria gravissima, & crimen læsæ majestatis, ita Idololatria est gravissima injuria contra Deum summum Regem, eoque gravior, quò majestas major, & eo honore dignior.

Cur per idololatriam gravissima Deo inferatur injuria.

SECTIO QUINTA.

Objectiones contendentes peccatum non esse injuriam strictè dictam contra Deum.

I.

Dicit: Non potest homo reddere æquale pro peccato suo.

Objicies primò: Justitia ex conceptu suo ordinatur ad æqualitatem inter personam lædentem & læsam constituendam, homo verò pro peccato admisso reddere Deo æquale non potest, cum peccatum mortale vel sit malitiæ sum-

plicitè infinitæ, ut multi autumant, vel saltem superioris ordinis ad omnem satisfactionem puræ creaturæ, ut postea videbimus, ergo non tenetur quis Deo pro illo satisfacere, cum nemo teneatur ad impossibile, ergo nec peccatum est injuria stricta, ex hac enim oritur obligatio satisfaciendi.

Sed contra primò: Pro peccato siquidem veniali potest homo satisfacere, ergo non est cur hoc excludatur à ratione injuriæ, & in illud admittente non oritur stricta obligatio pro eo satisfaciendi. Contra secundò: Justitia, ut dictum est in objectione, ordinatur ad servandum æqualitatem; ergo inclinatur ut quis non peccet mortaliter, per hoc enim constituitur inæqualitas inter hominem & Deum; ergo committitur iniustitia, sicque peccatum hoc est injuria stricta, & actus iniustitiæ contra Deum. Contra tertio: In quibusdam namque casibus clarum videtur nonnullis actionibus strictam in peccato oriri obligationem justitiæ ad satisfaciendum Deo ut si quis notabiliter Dei existimationem læserit, dicendo scilicet eum esse injustum, crudelem, mendacem, &c. absque dubio enim damnum hoc reparare, honoremque ablatum restituere tenetur.

Per peccat committitur iniustitia, inæqualitas, ergo est injuria.

Respondetur itaque, licet qui peccatum mortale commisit, nequeat ita ad æqualitatem pro eo satisfacere, ut illius remissionem obtineat; hoc enim vires puræ creaturæ excedit, aliquam tamen satisfactionem exhibere potest, & tenetur, dolendo scilicet de peccato commisso, veniamque petendo, &c. quod nisi præstet tempore quo hoc exigitur, novam offensam incurrit, ut in fine hujus Sectionis ostenditur. Quemadmodum si quis, postquam grave æs alienum contraxerat, bonis sit spoliatus, si eo inopia sit redactus ut nihil planè solvere possit ad nihil tenetur, si verò ex parte sit solvendo, reddere debet quod potest. Eodem modo res se habet in præsentia; quamvis enim ex toto satisfacere peccator nequeat, & perfectam constituere æqualitatem, facere tamen in hoc genere tenetur quod potest, si verò statim post admissum peccatum reddatur impotens ad ullam omnino satisfactionem exhibendam, ut si incidat in amentiam, ad nullam tenebitur magis quam is in altero casu, qui bonis omnibus esset exutus.

Aliquam pro peccato mortali satisfactionem exhibere nemo potest.

Quid sit amentiam post peccatum incidat in amentiam.

Objicies secundò; Confundi in hac sententiâ virtutes & vitia. Confirmatur, nam si peccatum sit iniustitia, deberet hæc circumstantia in confessione aperiri, cum variet speciem peccati. Ad argumentum nego ullam esse hic confusione, sed idem actus secundum varios respectus constituit diversas virtutes & vitia: unde actus dans cultum debitum Deo, in quantum dat cultum est actus religionis, in quantum cultus est debitus ei hic & nunc, ut domino, est justitia. Ad confirmationem, dico generales circumstantias non esse necessariò in confessione aperendas, quæ etiam de causa non aperitur circumstantia inobedientiæ contra Deum, quia in quovis peccato intelligitur; si tamen in particulari aliqua materiâ justitiæ Deum quis offendisset, ipsum infamando, aut blasphemando, deberet circumstantiam illam fateri.

Generales peccatorum circumstantia non sunt necessariò in confessione aperienda.

Objicitur tertio: Qui ergo equum alteri injustè abstulit, injustus erit, non solum contra dominum equi, sed contra Deum, sicque deficiente domino equi, teneretur eum restituere Deo. Concessâ priori consequentiâ, negatur secunda;

Dicit: Ergo qui equum alterius abstulit injustè, tenetur restituere Deo.

deficiente Domino, illum restituere Deo.

Resp. Deum non eo modo restitutionem sibi scripsit, quod si hominibus.

VI.

Dices: Jus Dei laedi ab hominibus non potest, ergo nec committi contra eum injuria.

Resp. Non efficitur tantum, sed etiam efficitur laedi posse jus Dei a creaturis.

VII.

Dices, scienti & volenti, imo & non impediendi fieri non potest injuria, ergo nec Deo.

Resp. Scienti & permittenti fieri posse injuriam.

VIII.

Contra quod alicuius voluntatem nascitur in peccante obligatio iustitia.

IX.

Voluntas unde oritur obligatio iustitia non est ea quae vincit rem illam physice.

secunda; primo quia dominium est potestas utendi re aliqua, quicumque autem habet equum illum tam est in potestate morali Dei quam ante, nec potest quis auferre equum Deo. Deinde quia ostendit Deus se non eo modo velle satisfactionem sibi fieri, quo hominibus, quibus bona ablata restitui debent, Deus autem solum petit satisfieri sibi per dolorem & petitionem veniam, & propositum emendationis in posterum. Semper peccata infamiae excipio in quibus est peculiaris ratio iniustitiae.

Objicies quarto: In tantum peccat quis contra iustitiam, in quantum jus alicujus vel dominium per actionem illam laeditur, jus autem & dominium Dei laedi a creaturis non potest; ergo non magis dari potest virtus ad hoc jus illatum servandum quam castitas in Angelo. Respondetur non affectu solum conditionato laedi posse jus Dei a creatura rationali, sicut affectus conditionatus reprimendi motus intemperantiae esse potest in Angelo, sed etiam effectu, ut quando utitur rebus Dei, Deo invito, sicque constituit quandam inaequalitatem, hoc vero materialiter saltem fit in omni peccato, in multis autem formaliter, praesertim in iis, quibus laeditur Deus in bonis extrinsecis, ut fama, &c. in quibus non minus tenetur quis ad restitutionem, quam si infamaret hominem, imo multo magis.

Objicitur quinto: Scienti & volenti non fit injuria, utpote quam nullus patitur nisi invito; ergo nec scienti & non impediendi cum possit: hoc enim interpretative & moraliter est consentire in actionem illam, Deo autem nolente efficaciter nihil fit, quippe qui in potestate sua perfectius habet voluntatem nostram quam nos ipsi. Respondetur: Licet scienti & directè volenti injuria fieri non possit, sic tamen permittenti, praesertim cum iustia de causa id fit; hoc enim non est moraliter consentire, cum voluntate quippe permittendi stare potest jus ut actio illa non fiat: sicut cum quis videns furem auferentem rem suam non prohibet, patitur injuriam, & datur ei juxta leges actio in furem, eumque de injuria postulare poterit; sicut etiam dum quis patienter fert alterum, qui eum convitiis lacerat, & infamat, quem tamen corripere & impedire posset, non propterea liberatur is a peccato injuria, nec ab obligatione satisfaciendi, & famam restituendi, sicut similiter injuriam maximam intulere Martyribus tyranni, esto illi libenti animo passi sint se torqueri & occidi.

Quaes, cui voluntati domini contraveniatur, cum inducitur obligatio iustitiae. Haec quaestio est alterius loci, nec ad praesentis difficultatis resolutionem necessaria; nobis enim sufficit esse in Deo hujusmodi voluntatem praecipendi, tum ut dominus est jurisdictionis, tum proprietatis; de utraque enim voluntate par est difficultas, quae verò sit, nostram in praesenti parum interest: aliquid nihilominus strictim adjungemus.

In primis ergo non est voluntas physice habendi vel retinendi rem illam; iudex enim videns furem aliquid auferentem, & non impedit cum possit, ut habeat occasionem eum puniendi, non habet voluntatem physice rem retinendi, cum sit contentus physice illa carere, praesertim si eam auferendo fur consumat. Dominus item quando exigit operam servi, non potest absolute velle ut servus id praestet, quod imperatur; nullus enim prudens potest hoc modo aliquid contingens velle cum sit incertum utrum servus id praestare

velit nec ne; sicut nec effodiens terram animo inveniendi thesaurum, potest absolute velle invenire thesaurum. Quod multò clariùs videtur in Deo, qui sciens homines non facturos quod imperatur, adhuc eos ad diversa obligat. Idem in simili est de dominio jurisdictionis, ubi voluntas, quae obligat subditum non est voluntas rei praecipere, potest enim subinde praelatus ex malo erga subditum affectu praecipere aliquid, & tamen maxime cupere, ut id non faciat. Nec etiam voluntas praecipere, vel exigentiae obsequii a servo est solum voluntas inefficax illius rei, seu conditionatus, hoc enim praecipere, videtur plane inane quiddam, quasi diceret dominus servo, fac hoc vel illud si velis, manifestum est autem aliam obligationem quam hanc oriri ex praecipere, ex vi enim hujus liber omnino videtur tam subditus, quam servus ab omni obligatione, cum relinquatur ipsis integram, stante etiam mandato, facere illud & non facere.

Dico itaque voluntatem, contra quam peccat fur auferens rem spectante domino, esse voluntatem, qua vult dominus retinere adhuc jus ad rem illam, & omnes illius usus, qua voluntate stante (stat autem donec innotescat contrarium, tandiu enim praesumitur non cedere jure suo) facit ei alter injuriam, dum utitur re illa ipso invito, dicitur enim recta ratio non esse utendum re aliena, nisi de illius licentia, seu illo permittente, non physice, sed moraliter, id est volente quantum est de se ut alter utens re illa non censetur fecisse contra regulam rectae rationis, & moralem titulum domini, quae voluntas non solum stat cum voluntate physice non impediendi etiam cum commodè posset, sed & cum desiderio & gaudio de furto, ut constat in exemplo spectantis furem, imo aliquando & cum physica traditione rei suae, ut patet in solvente usuras, cui in hoc fit injuria, & usurarius tenetur ad restitutionem.

Alia verò voluntas, qua superior obedientiam a subdito, dominus operam a servo exigit, non est voluntas absoluta rei, ut dictum est, sic enim Deo aliquid ab homine exigente non posset homo non reddere, quod quotidianam experientiam constat esse falsum. Est ergo voluntas movendi moraliter alium ex titulo domini proprietatis, vel jurisdictionis ad reddendum id quod petitur, simul volendo retinere jus ad illud obsequium, quae voluntate stante committitur actus inobedientiae, vel iniustitiae, si negetur obsequium, sive physice velit rem sive non. Motio autem illa moralis consistit vel in verbis, vel signo aliquo, quod ubi subdito, aut servo innotescit, norunt se citra inobedientiam & iniustitiam refragari non posse; & licet physice adhuc possint opus illud non facere, cum habeant dominium libertatis physice supra suos actus, moraliter tamen non possunt, sicque non habent libertatem moralem suarum operationum, id est, talem, ut citra injuriam alterius possint de us ut lubet disponere.

Deus ergo, quamvis physice permittat peccata, cum ut auctor naturae gubernare hominem debeat juxta suam naturam, & consequenter indennem servare illius libertatem, cum tamen retineat jus proprietatis ad obsequia hominum, & ea exigit movendo eorum voluntates ut reddant, peccant non reddendo, sicut injuria illata est Martyribus, licet physice permiserint se torqueri, mutilari & occidi. Tandem concludo hanc objectionem eodem modo procedere de obedientia,

Idem ostenditur in voluntate qua dominus aliquid exigit operam a servo.

Eadem ratio quoad hoc est de dominio jurisdictionis.

X. Declaratur contra quam voluntatem peccat fur auferens rem spectante domino.

Haec voluntas optinet cum voluntate physice non impediendi futurum.

XI. Ostenditur quamam sit voluntas qua superior obedientiam a subdito, dominus operam vel obsequium a servo exigit.

XII. Declaratur ulterius quomodo Deo, licet permittat peccata, retineat nihilominus jus ad hominum obsequia.



**TOM. II.** ac de iniustitiâ unius hominis erga alterum, præcipue ex præceptis negativis, in quibus possunt sæpe phylicè impedire: ac proinde solvi debet ab omnibus.

**XIII.** Objicitur ultimò: Si peccatum sit injuria stricta contra Deum, ergo tenetur creatura rationalis statim post peccatum admissum Deo pro illatâ injuriâ satisfacere, cui tamen communis hodie Theologorum sententia adversatur. Respondedo cum Suarez Disp. 15. de Pœnitentiâ, Sect. 5. num. 5. Tannero, Disp. 6. quæst. 6. dub. 3. num. 47. & aliis, in humanis quidem per se loquendo requiri, ut statim post injuriam commissam fiat compensatio, quia alioqui cedit dilatio in damnum aliquod personæ læsæ, cui per se loquendo nocumentum aliquod provenit ex eo quod vel res ablata non statim restituitur, vel satisfactio non fiat, quia alioqui contemnetur ab aliis, & vilipenditur: respectu Dei autem per se loquendo hoc non evenit; quod si in casu aliquo particulari contingeret, ut si quis de ipso falsam doctrinam sparsisset, & esset periculum ne latius serperet, statim deberet revocare, & errorem illum ex eorum mentibus, quibus ipsum in se verat, tollere.

*Assignatur hæc in re di-  
sparitas inter  
injuriarum sa-  
tisfactam homi-  
nibus & Deo.*

*Zesli in hu-  
manis sta-  
tim fieri de-  
beat satisfac-  
tio parisi la-  
sa, Deus ta-  
men hoc à  
nobis non  
exigit.*

Neque hinc inferas, ergo omne peccatum non est injuria propriè dicta contra Deum, nec vera iniustitia, cum non inferat damnum peccator Deo per actum onem peccaminosam: ad injuriam enim propriè dictam sufficit esse aliquid mandatum Dei tanquam domini proprietatis, cui contravenire Deo invito est actus iniustitiæ, at non tenebitur propterea peccator præcisè satisfacere, & consequenter nec censetur peccare contra justitiam, si hoc non præstet, nisi aliunde probetur esse aliquid mandatum Dei ut Domini proprietatis, per quod exigat satisfactionem; si verò sit hujusmodi mandatum, ut multi dicunt esse, tunc tenetur quidem satisfacere, sed pro eo solum tempore, pro quo obligat mandatum, quod cum affirmativum sit, non negativum, non obligat per se loquendo semper & pro semper: pro quo autem tempore obliget differunt auctores, & latè tractari solet in materiâ de Pœnitentiâ. Perinde autem ferè est quoad hoc, si teneatur quis pœnitentiâ agere ex solâ charitate, vel erga Deum, vel propria. Sed fusius hæc discutere non est hujus loci, sed ad tractatum de Pœnitentiâ, ubi plenius hæc de re agetur.

**XIV.**  
*Ad hoc ut  
peccatum  
sit iniustitia  
contra Deum,  
non est opor-  
tetur per illud  
damnum  
aliquod Deo  
inferatur.*  
  
*Pro eo solum  
tempore te-  
netur qui  
satisfacere,  
pro quo obli-  
gat præcep-  
tum.*

## DISPUTATIO QUADRAGESIMA QUARTA.

### De satisfactione Christi.

**D**VO hic imprimis sunt discutienda: Primum, utrum operationes Christi habuerint valorem sufficientem, ut pro peccatis hominum ad æqualitatem satisfacerent: Secundum, utrum in Christi satisfactione servata fuerint conditiones omnes ad rigorosam justitiam requisita, & consequenter utrum Christus satisfecerit de rigore justitiæ: in quibus utrisque gravis est inter Thomistas & Scotistas controversia, negantibus his, illis affirmantibus. Vtramque difficultatem discutiemus Sectionibus sequentibus.

#### SECTIO PRIMA.

Fueritne Christi satisfactio condigna & æqualis, pro peccatis generis humani.

**I.**  
*Triplici de  
causâ voluit  
aliqui opera  
Christi non  
esse sufficien-  
tia ad satis-  
faciendum  
pro peccato  
mortali.*



**P**RIMUS dicendi modus est, Christi satisfactionem ad hoc non esse sufficientem, sed peccatum mortale esse altioris ordinis, ad satisfactionem etiam Christi, idque triplici ex capite, nempe ratione Damni, Malitiæ & Pœnalitatis: ratione Damni, peccatum siquidem, inquit hæc via procedendi, esse ex se & suo conceptu formali destructivum Dei, est namque

contristativum ipsius, & consequenter aptum ad eum propria felicitate orbandum: cum ergo felicitas essentialis Dei sit ejus esse, id quod est aptum privare Deum felicitate, est aptum privare illum esse; Christi verò satisfactio non est apta ad dandum Deo esse, ergo majus est peccatum in ratione damni, quàm Christi satisfactio in ratione compensationis.

Secundò: Peccatum mortale in ratione malitiæ superare Christi satisfactionem in ratione bonitatis, inde constare videtur, peccatum etenim satisfactio autem Christi non est immediatè à Dei perfectione & excellentiâ, sed à naturâ humanâ, hæc enim sola est capax satisfactionis ac meriti. Tertiò demum mortale peccatum in ratione pœnalitatis

**II.**  
*Afferunt  
nonnulli  
Christi sa-  
tisfactionem  
in ratione  
bonitatis ef-  
se imparum  
peccato mor-  
tali in rati-  
one malitiæ.*